

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1749)
Heft: 16

Artikel: I. I. W. dissertatio de editionis Graecae nov. test. authenticae veritate
Autor: J.J.W.
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394658>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 01.04.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

J. J. W.

DISSERTATIO

de

EDITIONIS GRÆCÆ NOV. TEST.
AUTHENTICA VERITATE.

Thef. I.

PRÆCLARE quidem Augustus ille Hipponensis Ecclesiæ Doctor (a) *Vetus & Novum Testamentum*, Ecclesiæ tanquam matris nostræ duo ubera esse dixit, quibus inhiantes Filii Dei, indies alimentum hauriant, educantur & adolescant in Christo Jesu. Hinc divinum beati CHRYSOSTOMI κέλευσμα (b) Οἱ βελόμενοι τῶν θήνων, προσεχέτωσαν ταῖς γραφαῖς. Et (c) Ἀκούετε παρακαλῶ πάντες οἱ βιωτικοί, καὶ κτᾶσθε βιβλία φάρμακα ψυχῆς. Τὸτο γὰρ πάντων αἰτίον τῶν κακῶν, τὸ μὴ εἰδέναι τὰς γραφάς.

(a) In 1. Ep. Joh. tract. 3. (b) In 1. Cor. homil. 6.
(c) Et in Colofs. hom. 9.

II.

Cæterum (a) τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα, *sincerum illud lac sermonis ex fonte Hebræo Veteris, & Græco Novi Testamenti omnium purissime scaterere*, antiquitas ipsa pie credidit. Sic enim HIERONYMUS (b): *Sicut in Novo Testamento, si quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo*
novum

novum est scriptum Instrumentum : ita in Vet. Test. si quando inter Græcos Latinosque diversitas est , ad Hebraicam recurrimus veritatem , ut quicquid de fonte profiscitur , hoc quæramus in rivulis. Idem (c) : Latinorum codicum vitiositatem , quæ ex diversitate librorum omnium comprobatur , ad Græcam originem , unde & ipsi translata non denegant , volui revocare ; quibus si displicet fontis unda purissimi , cœnosos rivulos bibant. In hanc sententiam AUGUSTINUS (d) : Latine lingue homines , inquit , duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent , Hebræa scilicet & Græca , ut ad exemplaria præcedentia recurratur , si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas. Et AMBROSIUS (e) : Ita in Græcis codicibus (Novi Testamenti) invenimus , quorum potior est autoritas. Quin & ipse GRATIANUS suum addit calculum (f) , verba Hieronymi ad Lucinium adducens : Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est : ita novorum veritas Græci sermonis normam desiderat.

- (a) 1. Petr. II : 3. (b) Ep. ad Sun. & Fretellam.
 (c) Ep. ad Marcel. (d) De Doctr. Christ. lib. II. c. XI.
 (e) De Incarnat. Dom. c. 8. (f) Dist. 9. Can. ut veterum.

III.

Verum , invalescente in Ecclesia dominanteque tristi Idolomania & superstitione , cum ignorantia linguarum & tetra barbaries adeo Clericorum pectora occupasset , ut (a) in Latinis authoribus Græce nosse suspectum fuerit , Hebraice prope hæreticum : fieri aliter non potuit , quin passim sordescerent fontes , ac turpiter negligenterentur. Donec tandem Patres conciliabuli Tridentini (b) solam Vulgatam ,

gatam, (quo nihil magis portentosum ætas nostra vidit) authenticam (c) pronunciarunt, horrendo anathematis fulmine denunciato, si quis contradiceret. Cui decreto ut ne suum deesset integumentum, non ἀυθεντία modo fontium & ἀναμάρτησια in dubium vocata: sed iidem fontes antiquæ puritatis laude spoliati, sædissimæ corruptionis & depravationis qua voce qua calamo palam insimulari cœperunt.

(a) Claud. Espensæus Episcop. in 1. Tim. III.

(b) Casaubonus contra Baronium Exercit. II: 19.

(c) Sess. IV. Decreto 1, & 2.

IV.

Constitui igitur ἐν Θεῷ Editionis Novi Testam. veritatem hac disputatione ita asserere ac demonstrare, ut tum ἀπλῶς absolute hodiernum contextum Gr. a corruptelis immunem, tum σχετικῶς relate ita liberum esse, ut omnium Versionum, adeoque etiam Vulgatæ, norma merito sit & amussis, vel ipsa luce clarius evincam. Cujus sane quæstionis solida tractatio nequaquam ingenii humani lusus, adeoque inutilis & supervacanea, sed magni momenti res est ad veritatem divinam in cordibus nostris confirmandam. Si enim, ut Guil. AMESIUS (a) ait, neque Hebraici veteris, neque Græci N. T. codices sint fontes puri, tum nulla est pura Scriptura in Ecclesia Dei. (b) Quid ergo restat, nisi ut valere æternum jubeamus sacras literas; si nullum illarum exemplar verum est?

(a) Bellarm. enerv. Tom. I. p. 19.

(b) Sim. de Muis assertionis Hebraicæ veritatis altera p. 168.

V. Sim.

V.

Sinceritatem igitur ac puritatem editionis Græcæ N. T. præter cæteros Ecclesiæ Rom. doctores in primis oppugnat *Gordonus HUNTLÆUS* Jesuita (a): *Quod attinet*, inquit, *ad Novi Testamenti Græcum textum*, qui jam circumfertur ab adversariis, in quo etiam illi singulare suum perfugium collocant, dubium non est, quin ille in variis locis sit corruptus, partim INCURIA LIBRARIORUM; partim FRAUDE ANTIQUORUM HÆRETICORUM, & consequenter non adeo idoneus est ille textus ad gignendam fidem, ut existimant adversarii, nisi accedat Ecclesiæ auctoritas. Quare, infert idem (b), qui rejecta antiqua versione Latina, confugit ad Græcum textum qui vulgo extat, is procul dubio a certis recurrit ad incerta, dubia & depravata.

(a) Controv. I. cap. XII: 1. (b) Cap. XIII: 10.

VI.

En crimen, en causam, cur turbidæ Græci fontis aquæ fluant. De utrisque igitur tum Librariis, tum Hæreticis, quibus culpa corruptionis imputatur, figillatim dicemus. Ad Librarios quod attinet, optandum foret, ut aut ipsa sacrorum scriptorum ἀυτόγραφα, aut saltem eorundem ἀπὸ-γραφα talia ad nos transmissa essent, in quibus nulla mutatio, nulla varietas, nullum corruptelæ alicujus appareret vestigium. Quis obsecro talem sibi Codicem non impense gratularetur? quis non avide amplecteretur? Verum, si ita esset, oporteret utique Librarios (ut *Lud. CAPPELLI* verbis utar (a),) qui ab ipsis Prophetarum temporibus ad hanc usque diem sacris libris describendis vacarunt, suis-

se in universum omnes inter describendum δεοπνεύσε, ita ut ne vel in minimo quidem apiculo a primo autographo discesserint. Mirum itaque videri non debet, temporum intervallo injuriaque, seculorum barbarie, scribarum & correctorum inscitia, negligentia & temeritate accidere facile potuisse, ut in describendis exemplaribus varii errores committerentur. Non est metuendum, ait Cl. HEINSIUS (b), ne, qui S. Hieronymum ceterosque criticos antiquos legit, ea sit vel impudentia, vel imperitia, ut in sacris aliquid per negligentiam a scribis vel omissum, vel neglectum, vel corruptum, in vocibus præsertim, & quæ rem præcipuam non trahunt, admiretur.

(a) De punctorum Hebr. antiquitate lib. 2.

(b) Aristarchi sacri p. 510.

VII.

Hinc orta multiplex illa Lectionum varietas, quæ jam imprimis in nobilissima editione Græca N. T., quæ ex officina Rob. Stephani typis admodum venustis A. 1550. Paris. in fol. prodiit, annotata cernitur. Cujus varietatis multa insuper exempla attulit Cl. BEZA in doctissimis Annotat. in N. T. De quo opere magnus SCALIGER,

- - Fœtus supra caput extulit omnes
 Ille tuorum operum summa caputque liber.
 Quo penetrabile novi referatur fœderis, & quo,
 Discussa lucem nocte videre datur.

quæ tamen varietates magnam partem circa vocum accidentia versantur, adeoque leviores sunt, quam ut ipsimet Pontificii Græcum fontem propterea corruptum dicere audent. Quid enim refert siue legamus (a) ποιήσατε καρπὸν ἄξιον, siue καρ-

πρὸς ἀξίως ? (b) Ταῖς ἀδελφείαις ἡμῶν , sive τῇ ἀδελφείᾳ ? (c) Οἶδαμεν ὅτι Μεσσίας ἔρχεται , sive οἶδα ὅτι Μεσσίας ἔρχεται ? Quid vero sensui detrahitur , sive Apoc. IV : 8. ter , sive novies vox ἅγιος repetatur ? In Ecclesia veteri , ait Isacus CASAUBONUS (d) , illa formula δοξολογίας , sanctus , sanctus , sanctus ex Esa. VI : 3. vel semel usurpabatur , vel ter. De quo notatu digna sunt verba DAMASCENI in libro de Trisagio : Ἐπειδὴν τὸν τρισάγιον ὕμνον ἐν ταῖς συνήθεσιν εὐχαῖς τρίτον φαρὲν , ἀξίον καὶ περὶ τὰυτ διαλαβεῖν . ὅτι περὶ ἕχ ἅπαξ τῷ πατρὶ , καὶ ἅπαξ τῷ υἱῷ , καὶ ἅπαξ τῷ Ἁγίῳ πνεύματι τὸν τρισάγιον ὕμνον προσάγομεν . ἀλλὰ κοινῶς τῇ ἀγίᾳ τριάδι τὸν τρισάγιον ὕμνον προσφέρομεν. Hæc ille. De his igitur vere cum Jacobo CAPPELLO (e) pronunciare licet : Sunt sane in Græcis codicibus quædam lectionum diversitates : sed omnes ejusmodi , ut vel utraque lectio possit esse vera , vel facile placari possit ista pugna.

(a) Matth. III : 8. (b) Rom. VIII : 26. (c) Joh. IV : 25.
(d) Exercit. contra Baronium p. 82. (e) In Heb. X : 2,

VIII.

At præter ista inveniuntur etiam alia quædam majoris momenti loca , quæ licet Græci Codices (quos nobis quidem videre contigit) non variant , Viri tamen docti vel commodioris sensus causa , vel ad conciliandum τὰ ἐναντιοφανῆ , aliter legenda esse suspicati sunt.

I. Ut cum SCALIGER (a) ad Actor. XIII : 42. pro εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον , in sequens Sabbathum , legit εἰς τὸ μεταξὺ σαββατῶν , tempore intermedio inter Sabbathum. Marc. IX : 49. pro πᾶς γὰρ πυρὶ ἐλιδθήσεται omnis (homo) igne salietur (b) idem

legit πᾶσα πυρία ἀλιθῆσεται, omne sacrificium salietur. Sic I. Cor. XV : 31. pro κατ' ἀνθρώπον secundum hominem, reponit κατ' ἀνθρώπων adversus homines.

2. Daniel HEINSIUS (c) Joh. XI : 1. legit Ἦν δὲ τις ἀδελφῶν Λάζαρος, ἀπὸ Βηθανίας τῆς κώμης, Μαρίας καὶ Μάρθας ἀδελφός. Erat autem aegrotus quidam nomine Lazarus, ex vico Bethania, Mariæ & Marthæ frater : ac deinde (d) v. 2. αὕτη ἦν Μαρία ἡ ἀλειψασα. Hæc erat illa Maria quæ unxit &c. Et Joh. XIX : 29. pro ὑσσόπῳ περιθέντες hyssopo circumdatam sc. spongiam, legit οἶσυπον περιθέντες.

3. Sic Lud. CAPPELLUS (e) Luc. II : 2. Κυρῖναις pro κυντιλίαις, vel Κ. Ουάρε h. e. Q. Vari irreplisse suspicatur. Et (f) Jac. II : 18. pro ἐν τῶν ἔργων ex operibus, legit ἔξω τῶν ἔργων præter opera.

4. Matth. XXVII : 35. Zacharias a Judæis interfectus dicitur filius Barachiae, cum tamen 2. Par. XXIV : 20. filius Jehoiadae appelletur. Hic BEZA Barachiam pro Jehoiada per errorem irreplisse autumat. Quanquam alii patrem Zachariae διώνυμον fuisse ac Barachiam & Jehoiadam dictum volunt. Non negligenda videtur ad hunc locum observatio Constantini l'EMPEREUR (g), qui Servatoris verba per anticipationem dicta, & aoristum pro futuro positum existimat ; ut per quem occideritis non male reddantur verba ὃν ἐφρονεύσατε. Enim vero, inquit ille, JOSEPHUS lib. IV. de bello Jud. c. XIX. Christi prophetiam impletam narrat, cum Zachariam filium Barachiae non diu ante urbis excidium interfectum dicit ἐν μέσῳ τῷ ἱερῷ in medio templo ; ubi veluti digito locum a Servatore designatum notare videtur : nam medius ille locus in ἱερῷ templo, erat ante τὰὐτὴν ἀδὲμ, quam ut Servator alibi, sic Josephus hoc loco

loco templi late sumti partem facit. Hæc ille. Et sane, quid occurrit crebrius (CASAUBONI verba (h) sunt) in veteri aut novo fœdere quam hujusmodi anticipations? Talis est Joh. XII: 4. καὶ Ἰούδας ὁ Ἰσκαριώτης, ὁ παραδὼς αὐτόν: qui Christum, postea nempe, prodidit.

5. Matth. XXVII: 9. Jeremias nominatur, cum verba sint ex Zacharia (i). BEZA errorem notat librariorum. AUGUSTINUS (k) vult nullius Prophetæ nomen ab Evangelista expressum fuisse, sed scriptum ut habet Syriaca versio, *Quod scriptum est per Prophetam*, sicut alibi passim. Eod. versu JUNIUS, PISCATOR & DEODATUS verba hæc ἀπὸ τῆς Ἰσραὴλ referunt ad remotius ἔλαβον, quod interpretantur, non *acceperunt*, sed *accepi*, atque ita pro ἔδωκαν legunt ἔδωκα, cui sane lectioni cum sequentibus, cumque Propheta optime convenit: atque hanc correctionem etiam probat Vir Clariss. Fr. HOMBERG Parerg. S. ad h. l.

6. Luc. III: 36. Ponitur Cainan inter Arphaxad patrem, & Sala filium, quos Moses (l) immediate conjungit, nulla Cainanis mentione facta. Quod dubium, ut & reliqua in Genealogia Christi occurrentia, erudite ventilant Clariss. Theologi, Fr. GOMARUS, & Frideric. SPANHEMIUS (m). Quorum ille Mosen & Lucam ita conciliari posse docet, ut vel Lucæ verba τῆς Σαλά τῆς Καϊνάν tanquam hominis unius duo nomina intelligantur, & ad nomen Salæ alterum Cainanis expositionis gratia subnectatur. Vel, ut apud Mosen Arphaxad tanquam avus Salachum nepotem per filium Cainanem mediate; apud Matthæum vero Cainan ut pater Salachum filium proxime generasse, dicatur. SPANHEMIUS vero (n) gravif-

simis adductus rationibus, nomen τῆ Καίναν irrepsisse asseverat. Utut sit, non tam curiose quaerenda videtur in hac Genealogia difficultatum solutio, ut pie monet *Abrahamus SCULTETUS* (o), quam *consideranda secundi Adami gloria, nostræque consolationis amplitudo, ut qui certo inde sciamus, Christum ex iis patribus ortum esse, quibus promissiones traditæ fuerant, &c.*

7. Act. VII: 14. dicitur Jacob Patriarcha cum 75. animabus in Aegyptum descendisse, cum a Mose (p) *septuaginta* tantum animæ numerentur. BEZA pro πέντε hic πάντες legendum dicit, ut sensus sit, ἐν Συχαίς ἐβδμήκοντα πάντες, *qui omnes erant animæ septuaginta.* At non minus vero similis est *Lud. CAPPELLI* conjectura (q), secutum esse Stephanum LXX. Interpretes, qui in Genesi versum integrum addiderint quo recensentur quinque insuper animæ, quarum in Hebræo mentio nulla fiat.

8. Eod. cap. v. 16. *Translati sunt* (Patriarchæ) *in Sichem, & positi in monumento, quod emit Abraham pretio argenti a filiis* (r) *Hemor τῆ Συχέμ.* Atqui ex V. T. non Abrahamum, sed Jacobum a Filiis Hemor agrum emisse constat. Conjicit hic BEZA nomen Abrahami ab imperito quopiam, qui absque eo sententiam imperfectam fore putabat, adjectum. Alii aliter sentiunt. Nec contemnenda eorum conciliatio, qui, *Sal. GLASSIO* (s) referente, Abrahamum metonymice sumi asserunt pro Abrahamide, hoc est, pro Jacobo Abrahæ nepote. Sicut 1. Reg. XII: 6. David pro nepote Rehabeamo: & cap. XV: 6. Rehabeam pro filio Abia ponitur. Ea nempe est parentum & liberorum conjunctio, ut facta parentum
rentum

rentum filiis , & contra , imputentur. Atque hæc & similia *Gordono* (t) ansam præbent , ut nos ipsos sæpe rejicere contextum *Græcum ut depravatum* , affirmet. Sed fallitur Jesuita. Neque enim depravatus ille codex dicendus est , in quem ex incuria & ignorantia nonnulli errores inveci sunt , quod in omnibus libris , etiam sacris accidere potest. (u)

- (a) De emendatione temporum mihi p. 261.
- (b) Not. in N. T. (c) Arist. sacr. p. 435.
- (d) Id. p. 513. (e) Historia apostolica p. 107.
- (f) Spicilegio p. 126. (g) Lib. Middoth c. II: 6.
- (h) Exercitat. p. 333. (i) Zach. XI: 12.
- (k) De consens. Evang. lib. 7. cap. VII.
- (l) Gen. X: 24. (m) De Geneal. Christi cap. II.
- (n) Dub. Evang. 23. (o) Exercit. Evang. lib. 1. c. XLI.
- (p) Gen. XLVI: 27. (q) Spicileg. p. 73.
- (r) Gen. XXXIII: 19. & Jos. ult. XXXII.
- (s) Philologia s. p. 219. (t) Controv. 1. c. XIII: 1.
- (u) FR. SPANHEMIUS Dub. Evang. P. I. 23. §. 29.

S. Scriptura omnino reverenter tractanda : Interim eo ipso debita S. Scripturæ reverentia inviolata servatur , quando illa refecantur , quæ Scriptores Sacros inter se committunt , falsi quid infarciunt , & S. Scripturæ autoritatem labefactant.

IX.

His ita præmissis , examinanda deinceps videntur ea N. T. loca , quæ manifestæ corruptionis adversarii insimulare solent.

I. Matth. VI: 13. *Quia tuum est Regnum &c. Non nos* , ait MALDONATUS (a) , hæc verba (ex vulgata) *destraximus* : sed Græci solenni precati-
oni addiderunt : unde credibile est , in Evangelistæ contextum fuisse translata. R. Imo magis credibile est , nihil hic , ut Laur. VALLA (b) dicit , a Græcis additum , sed a Latinis detractum esse. Reperi-

tur enim ista clausula in plerisque omnibus Græcorum Codicibus , ipso satente *Bellarmino*. Eandem habent Patres Græci, (*Chrysoſtomus*, *Isidorus Pelusiota*, *Euthymius*, *Theophylactus*,) quorum hic potior habenda ratio quam Latinorum. Quid vero hæc *δοξολογία* heterodoxi habet, ob quod expungenda videatur? Equidem non diffitemur, Cl. *BULLINGERUM* nostrum (c) τὸν μακαρίτην, in eorum inclinasse partem, qui verba hæc aliunde irrepsisse existimant. Cui sententiæ, ut non pertinaciter refragamur, ita mirari subit (d) *Cottoni* & (e) *Gordoni* Jesuitarum bonam fidem, qui verba *Erasmi*, Clausulam hanc (f) *nugas* appellantis, a Bullingero adducta, tanquam ipsius Bullingeri essent, proferre non erubescunt. Plura de hac *δοξολογητικῇ* videantur apud *CHAMIERUM* (g), *PAREUM*, (h) *TURRETI- NUM*, (i) *GLASSIUM* (k) & alios.

2. Marc. XIII: 32. οὐδὲ ὁ υἱὸς. *Neque filius* novit. Hæc verba ab *Arrianis* in contextum illata esse ad oppugnandam Christi divinitatem, *Cottonus* & alii contendunt. R. Non ergo melior vulgata, quæ hæc ipsa quoque legit. (l) *Cur vero ea non agnoscamus, cum constet fuisse in libris antiquis fere omnibus?* Et quomodo hunc locum adducere potuerunt *Tertullianus*, *Irenæus*, & *Syrus Interpres*, quemadmodum illum diu post falsaturi erant *Arriani*? Patribus itaque tribuenda erit corruptela, si corruptela est (m). Unde non miror, callidiores ex adversariis inter loca depravata hunc non numerasse.

3. Luc. I: 35. Vulgata, quod nascetur ex te. *At Calvinus & Græca omnia Genevensia omit- tunt illud ex te EX TE: hanc tamen agnoscit ipse Beza*
depra-

depravationem esse Eutylianorum & Monothelitarum. Hæc Gordonus (n). Respondeat ipse sibi Jesuita: *Vulgata habet & Græcus textus correctior*, EX TE (o). Et MALDONATUS hæc verba ἐν σὲ non in omnibus, sed in plerisque Græcis Codicibus non legi, affirmat. Ergo non est hæc universalis omnium Codicum depravatio: sed aliqui saltem hæreticorum evasere corruptelam.

4. Luc. II: 14. Ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, *In hominibus beneplacitum.* Non dubito affirmare, inquit MALDONATUS, Græcos nunc Codices hoc loco esse corruptos, legendumque εὐδοκίας, bonæ voluntatis. R. Ita quoque BEZA existimat. Verum utrovis modo legas, num inde legitimo sensui ac veritati quicquam detrahitur?

5. Joh. VII: 39. οὐπω γὰρ ἦν πνεῦμα δεδομένον (p) *Nondum erat Spiritus datus.* Vulgata vero habet: *Nondum erat Spiritus Sanctus.* Ista depravatio est Macedonianorum & aliorum hæreticorum, qui negabant Spiritum Sanctum esse verum Deum. R. Lucas BRUGENSIS testatur additum esse δεδομένον in Vaticano exemplari Græco. Neque hic de Spiritus S. essentia, sed de donis ejus in Apostolos miraculose collatis agitur, ut sensus sit, Spiritum S. nondum Apostolis datum fuisse, quod in die Pentecostes accidit. Quodnam vero hinc Macedonianis præsidium?

6. Rom. V: 14. *Regnavit mors etiam in eos qui NON peccaverunt.* At legendum erat: *Qui peccaverunt*, omissa negativa, teste Ambrosio. Sic Gal. II: 5. Græca habent, quibus *NEC ad horam cessimus.* Hieron. autem, quibus *ad horam cessimus.* R. Græci utroque in loco constanter retinent negativam; retinet quoque vulgata, & optime

sensus cum Apostoli scopo convenit. Quid est ergo, cur hic editio Græca vel minimæ corruptionis arguatur?

7. Rom. XI: 6. *Sin ex operibus, jam non est gratia: alioquin opus jam non est opus.* Hæc verba BELLARMINUS Græcæ editioni per corruptionem inserta esse contendit. R. Nervosum vero argumentum. Non legit ista Vulgatus Interpres: Ergo in Græco redundant. Quin potius sic retorquemus. Extant hæc verba in omnibus Codicibus Græcis. Ergo e Latina fuerunt eliminata. Accedit quod *Theophylactus* & *Oecumenius* ita legunt. Quin & CAJETANUS (q), in Latina, inquit, *editione deest una integra sententia, quæ priori e regione respondet.* Viderat nempe ad veram fidei & operum antithesin, quam hic Apostolus instituit, pericopen hanc omnino necessariam esse.

8. Rom. XII: 11. Accusat nos BELLARMINUS, qui legamus, τῷ κυρίῳ δουλεύοντες, *Domino servientes*, cum Græci veteres habeant, τῷ καρῷ *tempori* sc. servientes. R. Imo vero plurimâ exemplaria Græca habent τῷ κυρίῳ, ut fatentur *Lucas BRUGENSIS* & *Arias Montanus*. Sive autem τῷ κυρίῳ, sive τῷ καρῷ legas, sensus uterque Scripturæ conveniens est.

9. 1. Cor. XV: 47. Vulg. *Secundus homo de cælo cælestis.* At (r) Græca, ὁ δεύτερος ἀνθρώπος ὁ κύριος ἐξ ἔργων, sic corrupente *Marcione*, ut testatur *TERTULLIANUS* lib. 5. adversus Marc. R. Bona & orthodoxa est lectio Græca. Quam *Arabs* & *Syrus*; *Chrysoft.* item & *Theophylactus*, *Marcionis* hostes, sequuntur. *Epiphanius* autem, qui loca a *Marcione* corrupta enumerat, hujus non meminit. *Tertullianus* non hunc, sed alium quendam

quendam hujus cap. locum esse corruptum monet. Quin potius ex solo Græco textu Tertullianus effregit & convulsit Marcionis amentiam, ut Mortonus probat (s), quem consulas licet.

10. I. Cor. XV: 51. Πάντες μὲν ἔ κοιμηθήσόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγισόμεθα. *Omnes quidem non obdormiemus, omnes autem immutabimur.* Vulgatus: *Omnes quidem resurgemus, at non omnes immutabimur.* Ergo Græca editio, si STAPLETONO (t) credimus, corrupta est. R. Cur non potius corruptam dicimus latinam? Omnes sane Græci Codices ita legunt, nec inde quicquam absurdi consequitur. Et quale foret hoc mysterium, quod Apostolus se revelaturum promittit, si latina lectio obtineret? Unde Sixtus Senensis (u), authoribus in utramque partem allatis, rem in medio relinquit. Cajetanus vero in hunc locum, *Legendum arbitror, omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur.*

11. I. Joh. V: 7. *Tres sunt qui testificantur in cælo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt* (w). In plurimis Codicibus Græcis, ait BELLARMINUS, *deest testimonium pulcherrimum Trinitatis* (x). R. Quis miretur, verba tam illustria olim fuisse expuncta ab Arianis? Sufficit autem, in plerisque (y) Codicibus Græcis mansisse. Quodque hic locus genuinus sit, copula καὶ in versus principio, testiumque cælestium & terrestrium pari numero oppositio, diserte ostendunt. Notandum porro quod ERASMUS (z) testatur, *Paulum Bombasium* suo rogatu locum hunc ad verbum descripsisse ex Bibliothecæ Vaticanæ Codice pervetusto, in quo non extiterit testimonium Patris, Verbi, & Spiritus. Et tamen Gordonus (aa)

ad

ad hoc exemplar , tanquam ad *correctissimum & antiquissimum* , cui cum Vulgata in omnibus conveniat recurrendum esse monet. Sicut enim , inquit , in veteri lege asservabatur *correctissimum exemplar Legis in ipso templo a summo Sacerdote* : ita in nova lege servatum semper fuit *Romæ correctissimum illud exemplar Græcum Novi Testamenti*.

12. 1. Joh. IV : 3. Vulg. *Omnis Spiritus qui solvit Jesum , ex Deo non est , & hic est Antichristus.* (bb) Et ita , inquit HUNTLÆUS , legit antiquissimus Irenæus. Jam adversarii legunt ex suo Græco corrupto : *Omnis Spiritus , qui non confitetur Jesum Christum in carnem venisse , non est ex Deo. Quæ est depravatio Nestorianorum , qui solvebant Christum , ut testatur Socrates.* R. Conspirant hic Gr. Codd. omnino omnes , cur ergo vulgatæ lectionem præferamus ? Miror autem , qui Nestoriani hanc lectionem finxisse dicantur , cum aliquot ante seculis ita legerint (cc) CYPRIANUS & (dd) POLYCARPUS , antiquissimi patres. Quid , quod ipse CAJETANUS Græcam lectionem magis convenire phrasi Johannis fatetur. Ex his vero ipsa luce clarius apparet , aut loca ista Græcæ editionis , & si quæ sunt alia , ab omni depravatione aliena esse ; aut , si quæ ex librorum & correctorum incuria , ignorantia vel etiam temeritate inmutata sunt , non talem hinc emergere corruptionem , qualem adversarii somniant. Longe ut meliori jure de Græco fonte dici possit , quod de Vulgatæ suæ rivulis Nic. SERARIUS Jesuita (ee) : *Nullus est error , qui virtuti , fidei , bonis moribus , ac tutissimæ lectorum obedientiæ sit adversus.*

(a) Comment. in hunc locum. (b) In Orat. Dom.
(c) Decad. 5. serm. 5.

(d) Contr.

- (d) Contr. Genev. præfat. cap. IX.
 (e) Contr. I. cap. XII: 3.
 (f) Annotat. in Matth. VI. (g) Tom. I. p. 458
 (h) Comment. in Matth.
 (i) Contra Cottonum Tom. I. p. 87.
 (k) Philolog. f. p. 185.
 (l) Casaub. notis ad Matth. XXIV: 36.
 (m) Et videtur omnino verosimile, ab orthodoxis quibusdam omissum fuisse, metuentibus ne in malam illud partem Hæretici interpretarentur, ut in illo Luc. XXII: 43, 44. factum est teste IRENÆO. Videatur WHITBY Exam. Var. Lect. p. 30.
 (n) Contr. I. cap. XII.
 (o) WHITBY. l. c. p. 117. Non una ex sexcentis pari atque hæc lectio auctoritate nititur.
 (p) Loco jam citato Gordonus.
 (q) Comment. in hunc l.
 (r) Bellarm. de Verbo D. l. 2. cap. VII.
 (s) Apolog. parte 2. l. 1. cap. VI.
 (t) Antidot. p. 812. (u) Biblioth. l. 6.
 (w) Lib. 2. de Verbo D. cap. VII.
 (x) Hier. præf. in Epistol. Can.
 (y) Immo in nullis Græcis Codd. conspicitur; sed habent Tertullianus, Cyprianus, antiqua Latina. &c.
 (z) Annot. in hunc l. (aa) Controv. I. c. XIII: 9.
 (bb) Cont. I. c. XII: 4. (cc) Contra Jud. l. 2. c. VII.
 (dd) Epist. ad Philip. (ee) Pag. 120.

X.

Quod si Hæretici fontes inficere, & ad monstrosa dogmata sua detorquere tentarunt, ut GORDONUS ex (a) Irenæo, (b) Tertulliano & (c) Origene probat, frustra tamen fuit eorum conatus, quia nunquam, (d) teste BELLARMINO, defuerunt Catholici, qui eorum corruptelas detexerunt, & non permiserunt sacros Libros corrumpi. Pervertent illi sane Codices suos, Orthodoxæ Ecclesiæ Codices, a qua nos Novum Testamentum habemus, pervertere non potuerunt. Nam, ut præclare

clare monet, cujus supra mentio facta est, *Si-
meon DE MUIS* Profess. Regius Paris. (e) *Deus
ne tandem passurus erat, principes & archetypas divini
Testamenti tabulas nebulonum & fanaticorum hominum
arbitrio misere adulterari ac vitari?* Hinc *SIXTISE-
NENSIS*, Viri Pontificii verbis (f) concludimus,
& dicimus: *Eum Græcum Codicem, qui nunc in Eccle-
sia legitur, eundem illum esse, quo Ecclesia Græca tem-
poribus Hieronymi, & longe antea usque ad tempora
Apostolorum usa est, verum, sincerum, fidelem, &
nullo falsitatis vitio contaminatum &c.*

- (a) Lib. 1. c. 29. (b) Contra Marc. I: 5.
(c) Rom. XVI: 25. (d) L. 1. de Verbo D. c. VII.
(e) Affect. Hebr. verit. altera. p. 18
(f) Biblioth. l. 7.

XI.

Quærat fortasse nonnemo si in Cod. Græco
locus occurrat, qui aliter atque aliter legatur, utra-
tum lectio utri præferenda sit? Annon ea quam
Vulgata emendatissima translatio sequitur? Respon-
demus, sæpenumero utramvis lectionem sine
omni incommodo retineri posse, imprimis cum
varietas est in singulis dictionibus. Sin autem
manifesta deprehendatur lectionum dissensio, &
pugna talis, ut utraque approbari nequeat, sed
alterutra tantum legenda sit, tum respiciendum
ad Codices antiquiores & probatiores, ad lectio-
nem atque interpretationem Patrum, Syriaca in-
super editione adhibita. Quorum omnium au-
thoritas & consensus magni a nobis æstimari debet.
Sed, quia hæc ipsa plurimis in locis non conspi-
rant, idcirco omnium tutissima hic norma est
sensus veritas, & analogia fidei, ut ea nobis le-
ctio

ctio videatur melior, quæ sensum veriore, magisque antecedentibus & consequentibus totique Scripturæ analogum & consentaneum parit. Hunc veluti Lydium lapidem secuti (a) Joach. CAME-
RARIUS, & post illum (b) Daniel HEINSIUS, Joh. IV: 35. hanc lectionem probant: ὅτι τετρα-
μηνός ἐστι, *quadrimestre tempus est*, sublata voce ἐτι
adhuc, quæ contrarietatem involvere videtur.
Contra CASAUBONUS (c) Marci XVI: 2. cum
Gregor. Nysseno [d] & Eusebio [e] addit particulam ἐτι,
legitque ἐτι ἀνατείλαντος, vel ἀνατέλλοντος τῆ ἡλίου,
dum adhuc sol oriebatur. Sic enim Marcus ipse se-
cum, & cum reliquis Evangelistis conciliari opti-
me potest. Ita locus Joh. I: 3. a Macedonianis
ita distinctus fuit: [f] καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο ἔδῃ
ἐν. ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ, ζωὴ ἦν. *Et sine eo sermone
factum est nihil. Quod factum est in ipso, hoc est
Spiritus Sanctus, qui per ipsum factus est, Vita
erat*. Unde Spiritum S. esse creaturam colligebant.
Hic nos, missa tam inepta lectione, receptam
nostram & analogiæ fidei, ipsique contextui con-
venientem, retinemus.

- (a) Annot. in hunc l. (b) Arist. sacr. p. 369.
(c) Contra Baron. p. 675. (d) Serm. 2. de resurrect.
(e) Demonstr. l. 10. (f) Chrysostr. hom. 4. in Joh.

XII.

Quod si Vulgata quoque Versio hac in re con-
sentiat, eam, neglectis omnibus aliis, sequen-
dam censemus. Unde Hebr. IX: 1. vocabulum
σκηνης rectius cum Vulgata omitti dicimus, quia
series orationis postulat, ut hic ab antecedenti-
bus suppleatur vel intelligatur vox διαθήκη. Ita
CASAUBONUS Baronium laudat, quod cum vet.
Inter-

Interprete [a] recte legat. Luc. II: 22. τὸ καθά-
 γισμὲ αὐτῆς, non αὐτῶν. Loca plura vide apud
 eundem CASAUBONUM, BEZAM, ERAS-
 MUM &c. quibus Vulgata haud vulgariter com-
 mendatur. Neque enim ita rigidi sumus, aut
 odio hujus editionis fascinati [quod nobis affin-
 git Bellarm. [b]] ut laudes illi suas detrahere co-
 gitemus. *Sed eam Ecclesis pro AUTHENTICA ob-
 trudi, idque cum anathematis denunciatione, si quis
 ULLO PRÆTEXTU eam rejicere audeat vel præsumat,
 illud est quod indignamur. Nec immerito sane. Ec-
 quid enim a Gordono & aliis nefarie fontibus obji-
 citur, quod non Versioni Vulgatæ exprobrari ve-
 rissime possit?*

(a) Contra Baron, p. 189.

(b) De Verbo D, lib. 2. Sixt. Amama censura in
 Genes. p. 19.

XIII.

Nam [ut de hac nonnulla subjiciamus] si vel
 in solo Codice N. T. consideres lectionum varie-
 tatem, atque errores non modo librariorum, sed
 etiam interpretis, [a] [quem non esse Hierony-
 mum, ipsi saniores Pontificii concedunt] Deum
 immortalem! quanta horum farrago erat atque
 vorago, cum illud Tridenti factum est decretum. [b]
 Et tamen quadragesimo quarto demum post anno
 Sixtus V. hanc versionem ab erroribus [c] (quos
Lucas Brugensis notavit) ita, si Diis placet, re-
 purgatam, publicavit, ut illam pro *emendatissima*
 illa venditaret. [d] *Hac nostra, inquit, perpetuo
 valitura constitutione de venerabilium fratrum nostrorum
 Cardinalium deputatorum consilio & assensu, & ex no-
 stra certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudi-
 ne*

ne statuimus ac declaramus, eam *Vulgatam sacrae tam V. quam N. T. paginae latinam Editionem*, quae pro authentica a Concilio Trident. recepta est, sine ulla controversia censendam *HANC IPSAM* quam nunc evulgamus. Unde mox ad hanc suam veluti amissim reliquas omnes in posterum editiones conformari vult, ne minima quidem particula mutata, addita vel detracta. Utque serio rem agi omnes intelligerent, si quis non obtemperet, in eum, declarat, si Antistes fuerit, etiamsi Episcopali, Primatiali, vel alia majori praefulgeat dignitate, interdicti ingressus Ecclesiae; sin autem inferior, excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam &c. Sed bene habuit, quod nulli Sixtus hanc poenam intentavit successori. Nam vix biennio exacto Clemens Octavus nova Biblia edidit, quibus Bullam suam, Sixti superciliosa illa valere iussa, praemisit. Quantam vero errorum suo iudicio copiam e Sixtina Clemens sustulerit, Thomas JAMESIUS quondam Bibliothecae Oxoniensis Proto-Bibliothecarius in Bello Papali suo diserte ostendit, e quo pauca exempla hic subicere lubet.

SIXT.

CLEM.

Marc. VIII: 34. Qui enim me confessus fuerit - & filius hominis confitebor eum.

v. 38. Qui enim me confusus fuerit - & filius hominis confundetur eum.

Joh. VI: 67. Qui essent credentes.

Qui essent non credentes.

Act. III: 11. Cum viderent autem Petrum & Johannem.

Cum teneret autem Petrum & Johannem.

Act. XIV: 7. Et ibi evangelizantes erant. Et
Tom. IV.

Et ibi evangelizantes erant. Et quidam Vic
Q q cont.

mota est omnis multitudo in doctrina eorum. Paulus autem & Barnabas morabantur Lystris. Et quidam Vir Lystris infirmus &c.

Rom. VII: 4. Mortificati estis - ut fructificetis Deo.

Jac. V: 11. Tristatur autem aliquis vestrum: oret æquo animo & psallat.

2. Joh. V: 11. Operibus ejus malignis. Ecce prædixi vobis, ut in die Domini non confundamini: plura habens vobis scribere &c.

En tibi, e sexcentis paucissima, unde tamen liquido constare possit, quam bene inter Papam & Papam, Sixtum & Clementem, Quintum & Octavum conveniat.

(a) Vide inprimis Guilel. Budeum annot. in Pan. dect. p. 163. vehementer in eos detonantem, qui edit. Vulg. authorem Hieron. statuunt.

(b) An. 1546.

(c) In libello, cui titulus: Romanæ correctionis loca aliquot insigniora. Qui Bibliis Interlin. Genève recensis adjunctus cernitur.

(d) Sixtus V. in Bulla Bibliis suis præfixa.

(e) Anno 1592.

Lystris infirmus &c.

Mortificati estis - ut fructificemus Deo.

13. Tristatur aliquis vestrum? Oret: æquo animo est? Psallat.

Operibus ejus malignis: plura habens vobis scribere &c.

XIV.

Quin ergo, dicat aliquis, hanc ultimam Clementis editionem, post *Huntenii*, *Stephani*, *Lovanensium*, *Isid. Clarii*, & ipsius *Sixti* Papæ labores

bores emaculatissimam tandem atque emendatissimam recipimus ! Minime vero. *Quis enim præsted* [verba supra laudati Simeonis DE MUIS (a)] *hanc quam habemus hodie, latinam editionem omnibus mendis carere ?* Sed & ipse Clemens, Sixto longe modestior, in præfatione sua *Vulgatam omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile esse, fatetur.* Nolo hic prolixè commemorare hujus Clémentinæ editionis ineptias & barbarismos, quos cum LINDANO diceremus (b) *Interpreti nulla cum morositate condonandos esse :* (c) at idem Græco textui passim addit, detrahit, sensum mutat atque pervertit : vel, ubi fontem sequi videtur, non tamen assequitur ejus τὴν ἐνάγγελιαν καὶ ἐνέγγελιαν, quo nomine ab ipsismet Pontificiis, Jansenio, Salmerone, Brugensi, Maldonato, &c. vapulat, & a (d) *Guiliel. BUDEO* in Pandect. (e) false perstringitur. Viderit igitur *Gregorius de VALENTIA*, quam vere dicat (f) : *Tantum insunt in Vulg. Lat. lapsus Typographorum, alioqui emendatissima ab omni errore, purgatione nulla indiget.* Viderit quoque AZORIUS (g), qua religione amplectatur sententiam eorum, qui existimant *Latinam non modo in rebus fidei & morum, sed & in cæteris OMNIBUS errore carere ?* Hinc alii, cum viderent *Vulgatam ab erroribus omnino liberari non posse, nec tamen Tridentini Decreti* auctoritatem extenuare vellent, hanc viam ingressi sunt, ut dicerent, esse in *Vulgata lat. errores non solum vitio scriptorum, sed etiam ipsius interpretis incuria vel ignorantia :* *Verum Religionis mysteria, divinæque voluntatis consilia, in quibus totius Scripturæ S. cardo vertitur, ita fuisse reddita, ut nihil quod ad fidem constituendam, Religionem firman-*

dam, moresque informandos pertineat, interpretis fraude fuerit additum, aut inscitia prætermissum. (g) Cautius adhuc BELLARMIN. (h) In iis PRÆSERTIM quæ ad fidem & mores pertinent, nulla esse in hac versione interpretum errata. Hos sequitur Simeon de MUIS; Vulgata non est ab erroribus interpretis qui illam edidit, castigata. Errores Interpretis dico, absit enim ut errores contra fidem aut mores intelligam.

- (a) Assert. Hebr. Verit. 1. p. 46.
- (b) Panopl. l. 4. c. LXXX.
- (c) Wittakerum contr. 1. q. 2. cap. XII. Chamierum Tom. I. lib. 14. c. XCI. & 13. Thom. Morton. Apol. p. 1. l. 2. cap. XI.
- (d) Videtis p. 162. & seqq.
- (e) Analyti fidei lib. 8. cap. V.
- (f) Institut. moral. lib. 8. cap. III.
- (g) Andradius defens. Concil. Trident. p. 357. b.
- (h) De Verbo D. lib. 2. cap. XI.

XV.

At enim si hanc penitius intueamur, facili negotio deprehendemus, illam pluribus locis ad placita Episcopi Romani accommodatam & detortam, adeoque in iis etiam quæ ad veram fidem pertinent, depravatam esse.

Nam, Pro infallibilitate Conciliorum, locus Joh. XIV: 26. ita redditur: Spiritus S. vobis ingeret omnia quæ dixero vobis. At Græca ἅ ἐπιτρού, quæ dixi. (a)

Pro Matrimonii Sacramento. Eph. V: 32. Hoc est magnum Sacramentum Gr. *Mysterium*..

Pro adorat. Imaginum. Hebr. XI: 21 Jacob. adoravit fastigium virgæ. Gr. ἐπὶ τὸ ἄγκυρον τῆς ῥάβδος, ad fastigium virgæ.

Pro Meritis Hebr. XIII: 16. Talibus victimis promeretur Deus. Gr. ἐναρπύσσεται ὁ Θεός, *delectatur Deus.*

Pro libero Arbitrio I. Cor. XV: 10. Non ego, sed *gratia Dei mecum.* Gr. ἢ χάρις τῷ Θεῷ ἢ σὺν ἐμοί. *Gratia Dei, quæ mecum est.*

Pro intercessione Sanctorum. 2. Petr. I: 15. Dabo operam & *frequenter vos habere post obitum meum,* ut horum memoriam faciatis. Gr. Dabo operam, *ut subinde vos possitis post exitum meum facere horum mentionem.*

Pro effectis extremæ unctionis Jac. V: 15. Et *alleviabit eum Dominus.* Gr. ἐγερῆι eriget, &c.

Festivum quoque est, quod (b) CASAUBONUS de Bellarmino (c) refert, qui ex versione corrupta loci Joh. XXI: 17. *probat omnes sine exceptione Petro [intellige autem Papam] esse subiectos.* „ Com-
 „ misit, inquit, Dominus Petro curam AGNORUM,
 „ id est populi Judaici; & AGNORUM, id est po-
 „ puli gentilis; & OVIUM, id est eorum qui agnos
 „ istos pepererunt in Christo, qui sunt Apostoli & Epi-
 „ scopi. „ Corruit lepida hæc observatio, si tex-
 tum Græcum intueamur, qui sic habet: βόσκει
 τὰ ἀρνία μου· ποιμαίνει τὰ πρόβατά μου· βόσκει τὰ
 πρόβατά μου. *Pasce agniculos meos: pasce oves meas:
 pasce oves meas.* Tam ergo congrue hic Bellarm.
 argumentatur, quam olim Alphonsus DE CASTRO,
 Inquisitor Hispanus (d), qui primatum Petri eo
 stabilire voluit, quod cæteris quidem Apostolis
 dicatur: (e) *Quæcumque ligaveritis in terris, ligata
 erunt in COELO:* Soli autem Petro: (f) *Dabo tibi
 claves regni COELORUM: Et quodcumque ligaveris
 supra terram, ligatum erit in COELIS.* Si valet ista
 consequentia, Petrus ipso Christo major erit,

qui singulari contentus numero dixit : *Mibi data est omnis potestas in COELO & in Terra* [g]. Judicet nunc æquus rerum æstimator, jurene an injuria Patres Conciliabuli Tridentini Vulgatam editionem emendatissimam, authenticam, nulloque prætextu rejiciendam XL. annis & amplius antequam illa extitisset, nulla fontium mentione facta, pronunciarent.

- (a) Vide Chamierum, Wittakerum, Chemnitium, &c.
- (b) Contra Baron. p. 711. (c) De Rom. Pontif. I: 16.
- (d) Adversus hæreses Tit. Papa.
- (e) Matth. XVIII: 18. (f) Matth. XVI: 19.
- (g) Matth. XXVIII: 18.

XVI.

Authenticum in Jure Civili proprie nihil est aliud quam *Originale*. Unde *authenticæ tabulæ, authenticum instrumentum*. Hoc sensu editio Hebræa & Græca sola authentica dicitur. Quo igitur sensu Vulgata? Docet hoc Greg. de VALENTIA [a]: *Esse versionem aliquam authenticam, nihil aliud est hoc loco, quam esse eam OMNINO in sententia conformem Scripturæ originali*. Assentitur Lud. de TENA [b], *Latinam editionem in omnibus suis locis & partibus ita esse authenticam, ut non solum nullum contra fidem errorem contineat, sed etiam infallibilem veritatem & Spiritus S. mentem in omnibus suis partibus, quantumvis minimis non minus quam originalis Scriptura, unde fuit transfumta*. Neque ut fidem faciat, indigere recursum ad illam, vel aliam. Hoc autem esse falsum, etsi modo ex ipsis ostendimus adversariis: tamen operæ pretium est rursus audire Sim. de MUIS, qui contra Job. Morinum, fidei nostræ desertorem, ac fontium utriusque foederis hostem acerrimum, inter

inter alia [c] sic inquit: *Sed est aliud quod te velim, Morine. Pro AUTHENTICA versio Vulgata approbata est à Synodo Tridentina, quod primigenium textum, ex quo conversa est, fideliter repræsentet, inquis. Quæso te, quando ita fideliter textum illum repræsentavit? Anne statim quum Synodi Decreto pro authentica adprobata est, an quum ejusdem vi decreti postea expurgata fuit atque emaculata? Non quum primum approbata est: alioquin nulla opus fuisset emendatione, quam tum edixit Synodus. Nunc vero quæ Synodus, aut quis summus Pontifex sancit Vulgatam versionem ab omnibus omnino mendis ac vitiis, quæ in eam quoquo modo irreperant, esse emaculatam, ut dici illa possit primigenium illum textum, unde expressa est, non sane hodiernum, qui cum non ita bene interdum convenit, fideliter repræsentare, nec quicquam a primigenia interpretis scriptione degenerare, quod tu affirmas? &c.*

(a) Anal. fid. l. 8. cap. V.

(b) Isag. ad script. l. 1. diff. 6. Sect. 1.

(c) Assert. Hebr. Verit. 1. p. 119.

XVII.

Atque hæc est discors illa Romanæ Ecclesiæ Doctorum concordia, dum alii Codicem Græcum & Librariorum & Hæreticorum; alii Librariorum tantum culpa corruptum volunt. Sic cum de Vulgata editione agitur, sunt qui asserant nullos esse in ea Interpretis errores: alii, esse quidem in ea fatentur Interpretis errores, non autem in iis quæ ad fidem & mores pertinent. Sed manum de tabula. Ex hac igitur Græcæ & Lat. edit. *συνηγορη* manifestum est, *Vulgati* quidem Interpretis, *Pagnini* item, *Ariæ Montani*, [a] *Ti-*

gurinorum aliorumque latinas editiones autoritate sua debita non destituendas : præcipuam tamen autoritatem esse circa Originalem , ut Hebræum veteris , ita Græcum N. T. contextum : adeo quidem , ut ex hoc fonte , in usum Ecclesiæ derivati omnium translationum rivuli , sint examinandi , & cum opus fuerit emendandi & expurgandi. Orandus autem est cœlestis ille [b] agricola , ut perpetuo fideles excitet [c] *συνεργός* , qui vivis [d] sanæ doctrinæ aquis e limpidissimo Verbi Divini fonte haustis , [e] arvom ipsius rigare non cessent : Ipse vero quotidiana largiatur incrementa , ut tandem liquor ille Spiritus S. virtute fiat in cordibus nostris [f] fons aquæ salientis in vitam æternam.

CASAUBONUS , contra BARON.

p. 649.

Græca Novi , aut Hebræa Veteris Testamenti con-
temnere novitia est hæresis , Tridenti primum inventa.

(a) De quorum edit. illustre extat Aug. Thuani en-
comium lib. 36, ad annum 1564.

(b) Joh. XV: 1. (c) 1. Cor. III: 9.

(d) 1. Tim. I: 10. (e) 1. Cor. III: 6, 9.

(f) Joh. IV: 14.

T A N T U M.

DIS-